



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 55. Erant enim oculi eorum grauati. v. 43.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

qua reuifit discipulos. Fragilitas qua Dominum talem obliti discipuli dormiunt. O iterum Angor & bonitas Dei, & fragilitas humana! Angor quia prauidit tanquam in imagine omnia super se ventura tormenta, discipulorum fugam, Iudæ prodicionem, multorum & Iudæorum & Christianorum perditionem, quæ adeo pium Dominum cruciant, ut humanitus loquendo uno loco consistere nō sustineat: sed à discipulis ad patrem & rursus à patre ad discipulos recurrat. Bonitas, ut adhortaretur eos ne in hoc suo præsentissimo vitæ periculo dormirent, ipso vigilante; sed, proh! *inuenit eos dormientes*; Ecce fragilitas humana. Sed an non idem nobis contingit quotidie secundum animam? quoties pius Dominus nos uisitat per inspirationes bonas excitando ad vitanda hæc & ista: ad uigilias? ad pœnitentiam ob præsentissimum peccati & gehennæ periculum? & ecce, ut primum transit inspiratio, admonitio, lectio, concio &c. Iterum dormimus, hoc est ad antiquas consuetudines malas & peccata redimus, quasi nunquam experge facti fuissimus per Deum monentem, per remorsum conscientiæ, sacre scripturæ eloquia, & SS. Patrum adhortationes & exempla. O fragilitas! ne dixerim fatua negligentia propriæ salutis!

Domine, qui quasi aliud non facio, quam continuò dormire, excita me obsecro efficaciter ab hoc meo ueterno, ut semel relicto somno uitorum tecum sincere uigilem in uirtutibus, me in ijs exercendo noctes & dies, ne immersus tam periculoso animæ somno, à fure infernali despolier, & eius insidiis succumbam & peream. Vigilet obsecro Dominus Iesus super me & cunctos dormientes, ne nos apprehendat callidus tentator.

S. 55. *Erant enim oculi eorum grauari. v. 43.*

Vel ob uigilias in noctem protractas, vel vapores cibi & potûs sumpti, vel ob lassitudinem è laboribus diei; vel non tam corporum oculi; quam animarum, grauari erant mole quadam, quæ cum corporali somno proportionem habet; nondum enim erat eis spiritus datus, & forte idcirco Dominus uadens iterum orauit, non adhibita ulteriore excitatione, ne eis occasionem daret grauioris culpæ, sed in se laborem ad quem ipsi tenerentur, transtulit, orando pro eis ad patrem.

Domine Iesu Christe, mundi saluator non sic sint oculi mei grauari ita ut non uideant, quæ faciendæ sint ad salutem meam & gloriam tuam: sed ibi grauentur obsecro ubi obiecta externa carnis & mundi occurrant ita ut tædeat

D;

deat

deat videre vanitatem huius sæculi, & oblectamenta carnis, quæ vndique nos molestant, circumveniunt, grauant.

§. 56. *Et relicto illis iterum abiit & orauit tertio eundem sermonem dicens. v. 44.*

Videns Iesus quod nihil admonendo proficeret apud tres hosce suos dilectos Apostolos, abiit & orauit tertio: etiam pro illis & maxime pro Petro, qui enim ter erat negaturus.

Sic nobiscum Deus quotidie facit, postquam inspirationibus suis nos semel, iterum atque iterum admonuit, ut abstinemus à somno peccati, & non obediimus, pertæsus abit a nobis, donec tandem vel violenter excitati per calamitates, ad pœnitentiam redeamus, & vel per orationes sanctorum ad agnitionem nostri & gratiam Dei reuertamur.

Domine nosti quam sim pronus ad somnum peccatorum, & quoties à te admonitus sim, ut excitarer à somno filiorum Adam & peccatorum, quorum non est numerus, & tamen, eheu! non excussi eum, vt te loquentem audirem, vel trahentem sequerer, donec tandem vel per infortunia tanquam plagas, vel orationes sanctorum tanquam magnos clamores vel timore mortis & angustia gehennæ ignis parumper excitatus etiam tunc negligeret satis & tepidè cogitarem de meo periculo, adeo ut stupeam bonitatem tuam in tolerandis vitijs hominum. Sed hæc est gloria tua, qua elucescit infinita patientia & longanimitas tua. Ergo à modò plenè me excitare perge & amplius laua me, mi Iesu, & ad me redi, ut semel & semper amodò & in perpetuum excitatus te vnicum saluatorem meum audiam, sequar vocantem & trahentem in sempiternum.

§. 57. *Tunc venit ad discipulos suos. v. 45.*

Postquam tertio orasset Iesus & per Angelum confortantem, non tam didicisset patris voluntatem (quam optimè vti Deus ipse sciebat) sed quod Deus etiam ministerio Angelorum ad redemptionem hominum uti decrevisset, vel ut illi præsentem agnoscerent laborem Regis sui, quem pro subditis ille toleraret, consensit plenè natura humana cum diuina in eundem finem redemptionis, passionis ac mortis, mota charitate erga nos miseròs & perditos: & quasi consolata & viribus resumptis rediit ad discipulos suos tertio.

Sic mi Deus mihi fiat ut quando rebellis mea natura ad te sequendum, mandata tua seruanda, crucem tecum baiulando per tribulationes angustias & miseras abhorret, desuper à te per Angelorum opem &

tuam